

Caspar Mauritius Gregorius Michael

Exercitatio Anticalvinistica Ultima De Adiaphoris

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738380342>

Druck Freier  Zugang




R u Med. 1649

Mauritius, Casparus

Verf. Michael, Gregor

Exerc. VII



EXERCITATIO ANTICALVINI-
STICA ULTIMA

De

ADIAPHORIS,

Quam

Ductore Spiritu Veritatis

Consentiente Veneranda Facultate

Theologicâ in celeberrima Universitate

Rostochiensis

P R Æ S I D E

Viro Reverendo & Clarissimo

DN. CASPARO MAURITIO,

S. S. Theol. Lic. & Log. Prof. Ord.

Publico examini offerre

GREGORIUS MICHAEL,

Rostochiensis

Habebitur in Auditorio Majori ad d. 28. April.

✻(o)✻



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO cło łoc IL.

1649

EXERCITATIO ANATOMICA
STICA ULTIMA

ADIPHORSIS

Constitutio Venerabilis

IN CASU MARIITIO

GREGORII MICHAELI



THE NICOLAUS KRIEGER



EXERCITATIO ULTIMA = VII
DE
ADIAPHORIS.

§. I.



Æc enim restant, tum in genere, tum in specie excutienda: ea potissimum, quæ Decalogum & Baptismum attingunt. Brevioribus hic esse, ut minus difficili, licet: nec operæ pretium alibi valde occupari, quam ubi nodus occurrit vindice dignus. Itaq; de Decalogi divisione, Exorcismo, baptismo laicorum, confessione & absolutione privatâ majori cum cura agendum: cætera sufficere attigisse. Prius autem, quam ad speciem accedamus, de genere dispiciendum, hoc est, de adiaphorum natura, ut qua parte dissentiamus vel consentiamus, appareat, ut postea tanto melius explicari illud dubium queat, an urgentibus adiaphorum abolitionem Calvinianis tuto cedere possimus vel etiam jure teneamus.

RESP.

GREGORIO MI-
CHAËLE,
Rostoch.

§. 2. Adiaphora generalissimè dicuntur res, quæ neq; per se bonæ neq; per se malæ sunt, ita ut hominem moraliter nec bonum nec malum efficere queant, qualia sunt *τὰ μέτρα*, cibus, potus, conjugium, cœlibatus, ambulatio, &c. Nobis adiaphora sunt ritus, qui à Deo nec specialem mandati, nec prohibiti sunt, quorum partim in sacrorum publicorum administratione, partim in privati cultus exercitio usus indifferens est, quiq; per se nec cultus divini pars sunt, nec salutem hominum æternam promovent vel impediunt, sed serviunt decoro, bono ordini, ædificationi. Unde sequitur, quod quis adiaphoris vel uti vel non uti, item bene vel malè uti liberè possit. Et hætenus haud gravatè consensuros Calvinianos confidimus.

§. 3. Nimirum *ἐν θεοῖς* vix ulla controversia esse potest: quicquid controversum est, *ἐν ἀνομοῖς* ferè versatur, an v. g. exorcismus, & alia, quæ à nobis pro Adiaphoris habentur, revera talia sint, hoc est, à Deo nec mandata nec prohibita, sed mediæ naturæ. Leidenses Theologi in

V

Sy.

Synopf. Disp. XXXV. libertatis Christianæ pro varietate objecti diversos gradus vel partes constituunt thes. 11. seqq. has nempe: 1. libertatem à peccato, ejusdemq; reatu, dominio, & ex eo, Diaboli tyrannide: 2. libertatem à durissima exactione totius legis implendæ, & execratione ob non impletam legem: 3. libertatem ab omni traditionum humanarum jugo in rebus ad cultum Dei pertinentibus, & circa quas actus religionis, quos elicitos vocant, versantur: 4. libertatem à servitute economica legis ceremonialis &c. vid. thes. 20. seqq. & libertatem in usu rerum indifferentium & mediarum, de qua agunt thesi 32. & addunt thes. seqq. cum adiaphora per se nec bona nec mala censeantur, sed ex usus ipsorum circumstantiis, libertatem nostram à Paulo Rom. 4. 22. 1 Cor. 10. 23. cap. 8. 13. duplici lege circumscriptam esse, lege fidei & charitatis. Primam dicunt requiri ad id, ut libertatis ratio animis nostris apud Deum constet, ut de legitimo rerum indifferentium usu rectè simus instructi, & sufficienter confirmati, & nihil dubitante conscientia aut agamus, aut audeamus. Secundâ dicunt exigi, ut fratrum infirmorum, qui adhuc de libertatis suæ prærogativa non satis edocti sunt, habeatur ratio, ut eorum captum moderemur, idq; tantisper dum possint erudiri, eorumq; ædificationem procuremus.

§. 4. Hæc Leidenſium omnia recto ſtant talo, quibus nihil detractum, nihil etiam adjectum nunc volumus. Pugnemus utriq; contra illa tria, quæ Pontificii rebus mediis tribuunt, contra opinionem cultus per ſe, contra opinionem meriti & ſupernaturalis efficacix, deniq; contra neceſſitatem; in quam bifariam peccari ſolet. Primò, ſi, quæ à Deo neceſſario ſunt prohibita vel mandata, pro adiaphoris habeantur, ut ſi communicationem ſub una, venerationem ſanctorum & ſimilia pro adiaphoris habere velis. Deinde, ſi abſoluta neceſſitas adiaphoris tribuatur, ut ſi jejunium quadrageſimale abſolutè obſervandum ſub poena excluſionis è regno cœlorum obrudatur. Utriuſq; criminis rei ſunt Pontificii, ut alibi docetur. Atq; optandum foret, ut extra culpam hic Calviniani eſſent. Verum cum legimus, quæ Beza habet de aqua in baptiſmo & vino in cœnâ, deq; fractione panis adhibenda, non poſſumus, quin utriq; culpæ obnoxios Bezam & qui cum eo faciunt dicamus. Ita vero habent Bezæ verba Epist. 2. Volum. 3. pag. 195. ſeq. *Ubi panis & vini nullus uſus eſt, vel nulla certo tempore copia. num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò riſè celebrabitur, ſi quod panis aut vini vicem vel ex uſu*
com.

communi vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Et paucis interjectis: Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum adificatione non possit nec debeat, ego certe quovis alio liquore non minus rite quam aqua baptizavim. Et tandem: Panis fractio tanti sane est momenti, ut, qui illam non adhibent, Christum quodammodo non immolatum, neq; vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem penè Christos, quot singulares panes, tradere pene videantur. Haecenus Beza. Scilicet, hoc est culicem excolare & camelum deglutire. Sed hæc missa faciamus, atq; ad ea ipsa, quæ in controversia posita sunt, rectè accedamus: quibus rectè constitutis, quæstionis illius de abolitione rerum adiaphorarum, an hic gratificari Calvinianis possimus, decisionem velut clausulam imponemus.

§. 5. Primum à *ἀδιάφορον* est numerus decem decalogi præceptorum. Quem variè veteres iniverunt. CL. Cramerus quatuor formulas distinguendi Decalogum quoad numerum præceptorum recenset. Prima est Josephi lib. 3. Antiq. Judaic. cap. 4. ita dividens Decalogi tabulas, ut singulis quina præcepta tribuat: sitq; primæ tabulæ primum, de colendo solo Deo, secundum de non adoranda imagine, tertium de non jurando in re vana per Deum &c. Huic distinctioni subscribunt Origenes, Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius, Sulpitius Severus, deniq; Calviniani, nisi quod præceptum de parentibus honorandis ad secundam tabulam referunt omnes Josepho excepto. Secunda est solius Hesychii cujusdam comment. in Levit. cap. 26. qui negat præceptum de observatione Sabbathi esse ex numero decalogi: interim quatuor adsignat præcepta primæ, sex secundæ tabulæ, ut primum sit: Ego sum Dominus Deus tuus: secundum de non habendis diis alienis: tertium de non faciendis sculptilibus: quartum de non assumendo nomen Dei in vanum: quintum de parentibus honorandis, &c. Tertia est Thalmudistarum, quatuor præcepta attribuentium primæ tabulæ, sex secundæ, ut primum sit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti è domo servitutis: secundum de non habendis diis alienis, nec faciendis sculptilibus: tertium de non assumendo nomen DEI in vanum, & sic deinceps. Hujus distinctionis assertores sunt Phylo Judæus, Athanasius & ex Calvinianis Petrus Martyr. Quarta & Ultima distinctio est potissimum Augustini, Eucherii Lugdunensis, Bedæ, Anselmi, Lyra, Lombardi & Scholasticorum, quam securus est Lutherus. Vide de

hac re doctis. Crameri tractatum cap. 2. Hæc sententia etiam temporibus Originis suos habuit sectatores. Vid. Orig. in Exod. lib. 3.

§ 6. Vel hæc commemoratio docere potest rem indifferentem esse Decalogi numerationem. Nos quidem illam, quæ Calvinianis placet, suo loco relinquere, nisi ipsi nostram divisionem errorem, mutilam, corruptam & postremis temporibus magno damno Ecclesiarum Christi in Catholicum usum subintroducendam clamarent. Anhaltini & Marpurgenses vulgatam (quæ nostra est) distinctionem dixerunt esse horrendum sacrilegium, propter quod in extremo Judicio omnes illius assertores confundendi & pudenti sunt in æternum: Iidem nos octo integra, duo dimidia præcepta habere, & fraudem Deo facere, ac si quis persolaturus debitum decem Joachimicorum, solvat octo & duos tantum dimidios, sic satis impudenter & ineptè sunt gloriati. Hæc minimè sunt ferenda, quippe jugulum potentia Christianæ libertatis. Nos veterum modestiam sequuti, Calvinistici Spiritus intemperiam, insolentiam & immodestiam toto pectore averſamur, quam non modico neque trimodio, verum ipso horreo expromunt, imagines è templis intempestivè exturbando, & nobis suam illam decalogi divisionem velut necessariam obrudendo. Cæterum tantum abest, ut Calvinistarum divisionem nostra meliorem esse arbitremur, ut nostram censeamus solido rationum urgentissimarum, quibus destituuntur Calviniani, ut patebit, fundamento superstructam esse. Id prius, quam exponamus, haud diffitemur, Lutherum propter captum rudiorum usum quadam *συνομη*, & ea omisſisse, quæ ad solos Judæos spectabant. Vid. Jerem. 16. 14.

§ 7. Sic argumentamur: Quæcunq; ratio numerandi seu distinguendi nititur 1. nota distinctionis grammatica 2. consensu sacræ scripturæ 3. Antiquitatis autoritate, illa commodissima est & retinenda. At qui talis est nostra distinctio, qua præceptum de non faciendis sculptilibus à præcepto de non habendis diis alienis non distinguimus, præcepta vero de concupiscentia distinguimus. Ergo. Major est manifesta. Minor probanda. Et primo quidem, quod attinet notam Grammaticam, *ὁ* dico & *ἡ* illa adhibetur tum in Exodo tum in Deuteronomio, ut nunquam interferantur verbis, quæ unum constituunt præceptum. Officium enim eorum est distinguere. Cum ergo inter præceptum de non habendis diis alienis & sculptilibus nulla intercedat nota distinctiva: inter decimum vero & nonum intercedat, relinquatur hæc præcepta

cepta distincta esse. Adde alia fundamenta Ebraicæ literaturæ, quibus fulciri nostra thesis potest, fluxum nempe unius accentuationis & indolem silluk impuri vers. 2. 3. collationem deniq; præcepti tertii cum primo &c. unde fieri non potuit, ut alibi terminaretur præceptum primum, quàm ubi est silluk purum seu absolutum, quod alium continuantem accentum à latere non ducit vel tolerat, adeoq; versu quinto. Alterum quod attinet, imaginum adorationem ex usu scripturæ sub primo præcepto prohiberi sic probamus: Omnes dii alieni prohibentur primo præcepto. Imagines sunt dii alieni E. Minor probatur Exod. 32. 1. 4. Levit. 19. 4. Deut. 4. 28. &c. Deinde, quicquid à Deo in sui ipsius honorem sancitum, extraordinario item dono Spiritus Sancti perfectum & miraculosè approbatum, id non potest esse ullo præcepto morali prohibitum. Atqui fabricatio imaginum earumq; in sacris locis collocatio à Deo ipso in sui ipsius honorem sancita est &c. Ergo Major patet: Lex enim moralis immutabilem Dei voluntatem continet. Minor ex sequentibus locis est manifesta Exod. 28. 33. cap. 25. 18. Num. 27. 18. Exod. 11. 1. seqq. cap. 35. seqq. 1. Reg. 6. 23. seqq. cap. 8. 10. 11 &c. Tantum de Imaginibus. Concupiscentiam vero rectè ex usu scripturæ in duos secari præcepta, nemo, opinor, negaturus est, qui, quid sit apud Jacobum *ἡτὶ οὐπὶα σαρκῶσθου καὶ τῆς σαρκὸς* consideraverit. Eam rem libentius CL. Crameris verbis expromimus, quàm nostris. Ita vero Cramerus pag. 112. *Concupiscentia concipiens habitat in homine & manifesta fit, cum mens ab objecto delectabili inordinatè irillatur, estq; cum suggestionè, itemq; cum provocatione talium cogitationum de rebus proximi, unde facile sequitur motus ad illud objectum prosequendum. Diciturq; aliis concupiscentia sensualitatis: item *ωὐνοῦ θεοῦ*: primi motus: item fomes: nonnullis irillationes. Estq; ipsissimum peccatum originè inherens &c. Alia est concupiscentia pariens, cum jam illud malum inhabitans accendit voluntatem cum pleno consensu, nec repugnat delectationi, sed in deliberatam proaresin malè agendi prorumpit & armat membra omnia, ut infestentur objecta, hoc est, res alienas sive uxorem sive domum proximi. Unde etiam hæc duo in Exodo & Deuteronomio permutantur. Objectum autem originalis concupiscentiæ decimo præcepto proponitur & iis quidem vocibus *לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה לְאֵלֹהִים אֲחֵרִים* ad quas, quæ præmittuntur, velut exempla se habent. Nec malè Theologi observant vim vocis *תִּירְוּ* quæ occurrit in præcepto decimo: quasi dicatur: ne te ipsum irrites ad*

concupiscendum, laß dich deine böse Lust nicht reizen. De antiquitatis consensu supra diximus. Desinant ergo nobis maledicere Calviniani. Desinant nos qui imaginum usum historicum defendimus, objurgare Anhaltini tanquam Christi Dei filii hostes, amicos Belial, discipulos Antichristi, servos mendacii, verantwort der Erinn. pag. 122. Endl. ab Lehmann pag. 146. 150. 180.

§. 8. Tantum de Decalogi partitione: nunc ad alias Catechismi nostri (quem thesaurum ut juventuti nostræ è manibus excutiant, vel saltem suspectum reddant, unicus est in his Calvinianorum scopus) partes transeamus. In oratione dominica occurrunt nonnullæ quæstiones vel verbulo perstringendæ. Taxamur, quod in Ecclesiis nostris latinæ preces misceantur Germanicis. Sed hoc non inutiliter fieri fatebitur, quisquis consideraverit, Ecclesias nostras occidentalem Latinam Ecclesiam tanquam matrem agnoscere: cujus rei ut perpetua extet memoria, Latinis collectis aliquis attribui locus potest, ita tamen, ut hic ædificatio obrineat primas. Adde, quod Latinis precibus utamur, propter eos, qui latinè discunt & intelligunt: quodq; collectæ testimonium suggerant conservatæ etiam in medio papatu Ecclesiæ Dei. Reliqua, quæ hic agitari solent, an rectè dicatur Vater vnser / an sex an vero septem sint constituendæ orationis dominicæ petitiones, an in ultima petitione *ὁπὸ τῆς πρῆτης* sit vertendum in genere masculino, an in genere neutro, an vero ita, ut utrumq; includatur: hæc, inquam, leviuscula sunt, & extra controversiam adiaphora, saltem iudicio potiorum Calvinistarum. De apertione capitis ad mentionem nominis Jesu liticula est, quam nos civilitatem non impiam esse asserimus. Majori contentione de signo crucis disputatur, cujus retentionem Anhaltini haud erubescunt appellare incantationem Magicam, & tesseram Antichristi. Sed unde id probabunt? Tandem de organis Musicis discipatur, aliis contententibus, ea prophano quam sacro convivio longè rectius convenire, aliis vero Calvinianis ea concedentibus: quod certissimum *ἀδιαφορίας* argumentum est.

§. 9. A levioribus hisce ad gravioris momenti controversiam pedem promoveamus, Exorcismum. Hunc acerrimè insectantur Calviniani, quando ab usum nominis, & verbi divini, superstitionem Papalem, destructionem fidei salvificæ, deniq; ludicrum & inane spectaculum appellant. Hic initio protestamur, nobis minimè placere quæ de
Exor-

Exorcismo fabulantur Pontificii, cujus tres ceremonias faciunt: exsufflationem cum manus impositione & signo crucis 2. salis in os immisionem 3. salivam digito auribus & naribus appositam. Per hunc exorcismum ait Becanus in Manual. lib. 3. cap. 8. ab infantibus expelli dæmonem, ne impediatur baptismum, quem potest dupliciter impedire, 1. si infantem strangularet in ipsa baptismi inchoatione 2. impediendo fructus baptismi: & addit, corporaliter obsideri corpora infantum à Diabolo, quod habeat potestatem in illorum corpora, non autem, quod actu vexet, torqueat, strangulet. Apage vero has nánias! Apage ceremoniarum illam multitudinem, quibus ipsa principalis baptizandi actio obruatur & obscuretur! Neq; vero nos exorcismo vim attribuimus, qua expellatur Diabolus: tantum abest, ut eidem efficaciam baptismi tribuendam, aut exorcismum partem baptismi substantialem esse, ut calumniantur adversarii, censeamus. Quin haud gravatè in hujus ipsius ritus reformationem consentiemus, modò Calviniani moderatè remegesserint & prius retractarint ea, quæ de peccato originis, sanctæ infantum nativitate, & baptismi efficacia significativa & majores ipsorum & ipsi hæcenus constanter defendunt. Nec alia fuit mens B. Chemnitii, cum part. 3. locor. comm. pag. 161. sic scriberet: si doctrina de peccato originis, de potestate & regno Satanæ & de efficacia baptismi plana confessione concedatur, substantia, integritas & efficacia baptismi non est alligata ad præscriptum illum ritum verborum Exorcismi, sed Ecclesia habet libertatem, ut doctrinam illam aliis verbis Scripturæ magis consentaneis proponat & explicet.

§. 10. Cæterùm hic notandum, quò pacto nostræ Ecclesiæ in Baptismo adjurationem Dæmonis, quæ fit per Invocationem nominis Divini usurpent atq; explicent. Scilicet *adjuratur aliqui cum impellitur ut in Dei honorem aliquid faciat; quali adjuratio, vel per preces fit & obtestationes, vel per mandatum.* Hoc secundo modo nemo alium adjurare valet, nisi eo sit superior & potestate in alium polleat, veluti cum Abrahamus, pro potestate quam in servum obrinebat, eum adjuravit, ut filio uxorem adduceret Gen 24. Priore autem modo, sive per preces. quivis homo alium potest adjurare obtestando scilicet, ut sive hoc sive illud divini honoris ergo susceptum & factum velit. Et ita adjuratio nihil est aliud, quam quidam impulsus ad volendum ac faciendum, quod divina gloria cedat. Quod autem facit adjuratus, id sponte facit, ita ut possit non facere. Verba recitavimus
CL.

CL. Calixti ex Disput. de Baptismo th. 163. ubi sic pergit: *Quibus ad hunc modum consideratis, quivis intelligit adjurationem ad Daemonem, non nisi per Analogiam quandam & convenientiam transferri. Diabolum enim, nec monitis, nec precibus, nec mandatis ullis ullus homo eo adiget, ut divino honori velificari velit. Et si tale quid faciat aliquando, non facit nisi invitus. Quae igitur adjuratio homini in hominem competit proprie & peculiari modo, ea homini in Diabolum competit, saltim per Analogiam. Ne autem malus spiritus frustra adjuretur, ut id faciat, quod facere alias nolit, propterea divini nominis invocatio adhibetur, qua Deus invocatur ut Diaboli vim & potestatem inhibeat, ejusq; fraudi & malitia resistat. Deinde cum in priore Ecclesia Exorcistarum munus esset, dono ad hoc divinis dato Demones ejicere ex corporibus humanis per eos occupatis & obsessis; alia adhuc & nova hic intercedit analogia, ut daemones adjurari dicatur propter illos, non quidem, quos corpora iter invasit, sed quos redegit sub potestatem suam in spiritali captivitate eos detinendo. Haec tenus Calixtus.*

§. II. Pro confirmandâ de Exorcismo sententiâ nostrâ sic argumentamur: Quicumq; ritus ab Ecclesia prisca institutus retineri potest bono fine, qui verbo Dei minimè contrarius est, is est adiaphorus. Atqui Exorcismus talis est. E. Minor haut difficulter probari potest. Exorcismi enim Tertullianus meminit de Praescript. cap. 41. de Coronâ militis, de Idololatria &c. Cyprian. l. 4. Epist. 7. Gregor. Nazianzenus Orat. in S. Lavacrum. Optatus Milevitanus lib. 4. Augustinus lib. 1. de pectore merit. cap. 34. lib. 1. de Nupt. & Concupisc. c. 18. Epist. 105. ad Sixtum Presbyt. lib. 10. de Civ. Dei c. 22. Ambrosius Tom. IV. lib. 1. de Sacram. 15. Porro exorcisario nobis nihil aliud est, quam actus, quo denunciatur Diabolo opus Divinum, quod ipse Deus in baptizando operaturus est, destruendâ opera Diaboli & novum regni sui seminatium per baptismum plantando: habetq; Exorcismus (verba sunt Dn. D. Calixti) vim quandam *seria & valide precatiois qua baptizans Ecclesia nomine Deum obtestatur, ut baptizandum è Diaboli potestate ereptum & in regnum lucis gratiosè cooperatum velit.* Quae certe omnia sunt Scripturis consentanea, illis potissimum locis, quae utriusq; partis confessione de peccato Originis, deq; omnibus in Ecclesiâ ad aedificationem ordine & decenter peragendis loquuntur.

§. 12. Tantum de Exorcismo. Super est quaestiuicula de Baptismo à laico sive muliere collato, quem nos ratum esse dicimus. Zerveftani libro

libro de ceremoniis pag. 68. impiis & superstitionis ritibus, qui reformatione maxime indigeant, *ζωαινοβα νο μὲν* accensent. Calvinus & Beza præferre videntur diaboli baptismum administrato à mulieribus baptismo. Verba Calvini exstant Epistola ad Socinum pag. 64. *jam mea nihil refert, inquit, sine homo Lucianicus, qui baptizat, sine ipse Diabolus. Tantum enim respicienda est institutio & continuus usus, qui à Christi mandato tanquam fonte fluxit.* Beza in qu. & resp. qui 144. scribit: *si fieri posset ut vel ipse Satan sederet in cathedra ministerij, & legitimum baptismum administraret, is esset Christi baptismus.* Tanto magis mirandum, homines istos docere potius permittendum, ut non baptizati infantes moriantur, quàm ut Papisticus sacerdos eos baptizet. Hoc enim nomine vituperant Hunnium, quod id consilii dederit Fritzlariensibus. Vid. Calvin. Instit. lib. 4. cap. 15. num. 20. seqq. Leidenses Theologi in Synopf. pur. Theolog. disp. 44. th. 55. *qui non alio, quam obfetricum aut privatorum baptismo forte rinctus fuerit, ejusmodi hominem sine scrupulo baptizandum censent,* addita non alia ratione, quam, *quæ horum baptismus nullus est.* Quod Logici petere principium vocant. Nos, cum ratum esse dicimus baptismum à laico vel muliere collatum, non de ordinaria baptismi collatione loquimur, quæ penes ministros Ecclesiæ est, sed de extraordinariis casibus extremæ necessitatis, cum videlicet in nondum baptizato certissima mortis signa apparent, & verbi Ministri copia nullo modo fieri potest. Quod sic probamus: Quicquid in Veteri Testamento in circumcisione ratum fuit & concessum, id hodie in baptismo irritum esse nequit. Atqui ratum fuit, ut mulieres circumciderent, Ergo ratum quoq; erit, si baptizent. Major tum ex analogia utriusq; sacramenti Coloss. 2. 11. & æquali mandato de non intermittendo utroq; Gen. 17. Joh. 3. 4. tum ipsius Calvini judicio patet, dicentis, idem olim effecisse circumcisionem, quod hodie efficit baptismus. Minor est manifesta ex Exod. 4. 25. 1. Maccab. 1. 36. 2. Macc. 6. 20. Calvinii exceptiones loco citato nullius sunt momenti. Deinde novum pro adstruenda thesi nostra argumentum producimus: Qui extra ordinem docere potest, is etiam extra ordinem potest baptizare. Atqui privatus & mulier extra ordinem docere possunt. Ergo etiam baptizare. Minor est manifesta ex Act. 18. 24. seqq. & c. Socrates hist. Eccles. lib. 1. cap. 20. commemorat, quomodo Iberes ad Christianismum sint perducti operâ mulieris cujusdam honestæ & pudicæ, ab Iberibus captæ, quæ tan-

tum effecit apud Regem, ut Rex Christi factus sit præco. In *Christum enim*, verba sunt Socratis, *per quam hanc mulierem credens cunctos iberos sibi subiectos convocat, & qua circa uxoris ac pueri curationem, deinde & in venatione acciderant, exponens, ut captiva mulieris Deum celerent, vertatur. Facti sunt igitur utriq; Christi præcones, rex viri, captiva mulieribus*. Hactenus Socrates, qui ipse a deatur. Major inde probatur: quia officij docendi major est dignitas, quam est officij baptizandi 1. Cor. 1. 17. Et Christus ipse docuit quidem, non autem baptizavit Joh. 4. 1. His adde autoritatem prisca & purioris Ecclesie. Tertullianus de Baptismo, dicit, *laicis quoq; esse jus baptizandi, quia quod ex aquo ab omnibus accipitur, ex aquo ab omnibus dari potest*. Hieronymus Dial. contra Luciferian. Scimus, ait, *etiam laicis licere baptizare, si necessitas cogat: ut enim accipit quis, ita & dare potest*.

§. 13. Hæc de baptismo visa sunt curatori explicatione digna: reliqua sunt pretij minoris. Quale est, quod de tempore & loco movetur, contententibus adversariorum nonnullis, in coetu Ecclesie & concionibus precibusq; adjunctis baptismum administrandum, neq; ullos necessitatis casus admittendos. Quod ferri minimè potest, quod hic sapientia Calvinistarum & supra scripturam & supra puriorem antiquitatem se efferat. Legant nobis talia è scripturis vel constanti Ecclesie purioris observatione, & haud difficiles nos habebunt. Idem de baptisteriis judicandum, quæ nescio cujus superstitionis Papisticae in simulare haud erubescunt. Quasi vero ex Papatu originem baptisteria traxissent, quorum meminere Nazianzenus Orat. 4. Paulin. Epist. 12. ad Severum. Cyrill. Catech. 1. Myst Dionys. Ecclesiast. Hierarch. part. 2. An loco aquæ possit adhiberi quivis alius liquor, quod vult Beza verbis supra citatis, judicent ipsi Calviniani. *Ineptæ sunt quæstiones plurimæ, verba sunt Leidenisium Theolog. Disp. 44. th. 17. quæ à Scholasticis moveri solent; an alia quàm communi aqua ad baptismum uti liceat, an lixivio, urina, aquis coctis aut destillatis, item vino, aceto, imo sabulo aut arena. Ut enim temere hic multa ab iis definiuntur ex absolute baptismi necessitatis hypothese, ita nullam aquam nisi communem à Christo & Apostoli huic sacramento consecratam aut adhibitam legimus, ac proinde cum mandato ac promissione careant, ex fide usurpari non possunt*. De signo crucis, quod à nobis circa baptismum quoq; usurpatur, modo dictum. Quod jam Tertulliani ætate in usu fuisse locus de Resurrect. cap. 8. docere potest, ubi

ubi sic probat carnem non indignam resurrectione Tertullianus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur ut anima consecratur. Caro SIGNATUR, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur. Caro (NB) corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quos opera conjungit.* Adde Cyrill. Hierosol. Catech. 13. August. serm. 8. de Verbo Domini. Tandem id quoq; taxant Calvinistæ quod interrogationem Patrisornm retineamus. Nam & hanc Zervetiani lib. sup. cit. pag. 63. ceremoniis impiis & superstitiosis annumerant. Neq; tamen ignorare possunt, hanc ceremoniam antiquissimam esse, cujus meminit Chrysostomus in Psal. 14. Didum Augustini allegatur de Consecrat. dist. 4. c. 139. *Mater Ecclesia os maternum parvulis prestat, ut sacris misteris imbuantur, nimirum reperendo & applicando illud, quod ipse Christus pro infantibus expressè testatus est, & confirmavit.* Unde liquet, hunc morem & in Orientali & in occidentali Ecclesia usitatum fuisse, nec posse nisi novatoribus displicere.

§. 14. A baptismo ad ritum Confessionis & absolutionis privatæ transeamus. Hunc in nostris Ecclesiis retinemus, sed liberatum & repurgatum à Pontificio fermento, rejicientes auricularem illam Papiasticam & scrupulosam peccatorum omnium confessionem, quam dicimus esse impossibilem, esse miseram animarum carnificinam, carentem mandato scripturæ, promissione & exemplis, destitutam praxi primitivæ Ecclesiæ, transformantem Evangelium in legem, conjunctam cum meriti opinione, opere operato confessionis & potestate judicaria absolutionis privatæ, deniq; simoniâ quâdam, quâ vel secundum taxam pœnitentiariam certa pecuniæ summa exigitur, vel vis satisfactoria nummis post absolutionem numeratis vendicatur. Hæc detestamur. Neq; tamen probamus Calvinistarum oppositum extremum de confessione privata & absolutione penitus abrogandâ, ut testantur, ordinationes Ecclesiæ Palatinæ pag. 56 seq. & Genevens. pag. 23. &c. Probamus morem Ecclesiæ prisæ, de quo agunt Socrates hist. Eccles. lib. 5. cap. 19. & Sozomenus lib. 7. cap. 16. Uterq; memorat, institutum ab Ecclesia prisca presbyterum quendam (occasionem dederant Novatiani à pœnitentia arcentes prolapsos) tenacem secretorum & prudentem, ad quem qui deliquerunt accedentes, quæ gessissent, confiterentur, quiq; secundum unius cujusq; delictum, quid faciendum luen-

X 2

dumq;

dumq; esset, multa imposta, ea lege confitentes absolveret, ut à se ipsi pœnas exigereat commissorum. De Romana Ecclesia Sozomenus subjungit: *Illic perspicuus pœnitentium locus, in quo stant mœsti ac veluti lagentes: per acta autem liturgia à mysteriis exclusi, quæ ad initiatos pertinent, cum lamentatione ac planctu ad terram sese pronos projiciunt. Episcopus ex adverso cum lacrimis accurrens & ipse ad pavimentum lamentando provolvitur, & universa Ecclesie multitudo lacrimis suffunditur. Postea Episcopus primus exurgit, & iacentes erigit, & quatenus convenit pro peccatis pœnitentium, facta oratione ex Ecclesia illos dimittit. Seorsim quisq; sponte sua vel jejuniis vel balnei aut eduliorum abstinentia sive aliis modis, secundum quod jussus est, se affligens, tempus expectat, quod Episcopus determinavit &c.* Hactenus Sozomenus, qui de causa, cur mos ille privatim confitendi Constantinopoli à Nectario sit sublatus, videatur. Qui de habitu pœnitentium, & quinq; locis plura cupit, adeat Bellarminum, lib. 1. de pœnit. cap. ult. ubi è Gregorio Neocæsariensi pluribus hæc ducit.

§. 15. Veniamus ad rationes privatam confessionem & absolutionem demonstrantes adjaphorum ritum esse, meritoq; retinendum. Eas hoc syllogismo exhibemus: Quicumq; ritus in sacra scriptura præcisè nec mandatus nec prohibitus, sed potius 2. scripturæ & 3. orthodoxæ antiquitatis exemplo nititur, 4. præstat multas & insignes utilitates, quo nomine 5. à S. Patribus imo Adversariis ipsis commendatur, ille merito retinendus est. Atqui Confessio privata est talis. Ergo. Minor habet quinq; membra. Primū negari nequit. Secundum probatur: quia quamquam confessio privata & absolutio secundum illum modum, quo apud nos fit, non sit mandata: in genere tamen jubemur confiteri peccata, absolvere pœnitentes, informare rudiores, consolari timidos & dolentes. Loca passim obvia sunt: vide Jac. 5. 6. Joh. 20. 23. &c. Et huc pertinent exempla 2. Sam. 12. 2. seqq. Matt. 3. 6. cap. 9. 2. Luc. 7. 46. cap. 19. 9. &c. Tertium membrum ex iis, quæ modo è Socrate & Sozomeno adducebamus, clarum est. Quartum obscurum esse nequit. Nam & respectu ministrorum & confitentium ratione utilitas certa deprehenditur. Illorum quidem aspectu, necessaria exploratio, & si opus, informatio, ne sanctum proijciatur aut detur canibus Matth. 7. 6. Quod profecto explorandi & informandi rudiores sacra synaxi usus commodissimum medium est: in publicis enim examinibus sæpe pudor & timor

timor linguam præpediunt, in privatis promptius editur profectus nostri specimen, rectius admittuntur correptiones, institutiones. Horum utilitas in consolatione conscientiarum perterritarum, confitentium humilium confusione & Dei glorificatione, exercitatione obedientiæ & emendatione, hæreticorum & impœnitentium probatione atq; confutatione conspicua est. Quantum adductis plurimis Origenis, Cypriani, Basilii Magni, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini locis confirmari, si opus esset, facilius posset. Vide Chemnit. part. 2. Exam. cap. 5. Ipsorum quoq; Calvinianorum, Calvini, Martyris, Bucani, Zanchii, Bezæ aliorumq; loca addere in proclivi foret. Contenti erimus citatione Leidentium Theologorum, qui Disp. 47. th. 19. ex Calvini Instit lib. 3. cap. 4. sect. 12. 13. *liberum censent & sæpe utilissimum, conscientis sollicitis, ad eorum consiliam confugere, qui ex officio, peccatorum naturam & circumstantias propius nôrunt, & à proprio Pastore consolationem petere, per declarationem aliquam peccatorum, quibus sollicitus animus torquetur &c.*

§. 16. Quæ restant ad phora, minimi sunt momenti, perstringenda tamen. Quæritur, an diversus gradus inter Ecclesiæ ministros concedi possit? Et affirmatur ex instituto Christi Eph. 4. 11. Apostolorum, item, & primitivæ Ecclesiæ consensu, de quo videi. Tim. 5. 19. 22. Atq; hic consentientem habemus Ecclesiam Scotticam & Anglicanam: quanquam hæc ipsa res Puritanos malè habeat, nec videatur intemperiei illius, quæ nobilissimam Insulam vexat, atq; insolentissimæ impotentissimæq; insanix, cujus specimen editum nuperrimè fuit luculentum, & truculentum, omniumq; piorum suspiriis & lacrimis prosequendum, causa postrema fuisse. Deinde & hoc quæritur, an Paulus 1. Tim. 5. 17. Presbyteros duorum generum esse dicat, alios clericos, alios laicos. Nostra sententia id contra Bezam & asseclas negat: nobis ad stipulantur & Angli, Scoti. E. quibus unum sufficiat adduxisse, Joh. Forbesium, qui Instructionum Historico-Theologicarum lib. 10. cap. 5. num. 36. hæc habet verba: *Evangelium aptè, perspicuè, sapienter prædicare, majoris molis & moliminis opus esse, quam sacramentum administrare: illud paucorum esse, hoc autem equaliter fieri ab omnibus posse sacerdotalem ordinem habentibus. Et hoc discrimen Chrysostomus dicit suo etiam tempore observatum fuisse, ut ij presbyteri, qui uberiori scientia & sapientia præditi erant, magis operi prædicationis adhiberentur, & propter ingentem eorum, in hoc*

magis laborioso exercitio, laborem, exonerarentur magna ex parte administratione baptismi, qua aliis presbyteris demandabatur. Et hac applicat illud Apostoli dictum Chrysostomus. Qui bene presunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Hactenus Forbescius, qui alibi, nempe lib. 16. cap. 1. num. 17. observat, quosdam in Ecclesia veteri fuisse laicos, non πρεσβυτερος, sed γεροντας appellatos in Codice canonum Ecclesia Africana, canone centesimo, qui cum essent fideles & prudentiores de plebe, res quadam Ecclesiastica illorum fidei committebantur, & eorum consilio atq; auxilio Pastores utebantur, prout ipsis commodum videbatur. Apud omnes utiq; gentes (inquit Auctor commentarij, qui Ambrosio tribuitur 1. Tim. 5. 1.) honorabilis est senectus. Unde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit: quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentia absoleveris, nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum sibi volunt aliquid videri &c. De festis quoq; diebus quaeritur, an celebrandi. Quos exemplo Antiquitatis nos admittimus, pios nimirum, liberos, utiles, rariore. Lectiones quoq; dominicales & pericopae Evangeliorum & Epistolarum, quae nobis in usu sunt, à nonnullis adversariis admordentur. Quas retinuissemus liberè non minus quam utiliter, tanquam epitomen bibliothecarum, pro aedificatione majore tardiorum & rudiorum. Deniq; pro choreis & comædiis pugnari solet. Nos, ut minimè damnemus choreas, si sint moderatae, si fiant idoneo tempore & loco, si praesentibus honestis personis, si absit levitas: ita comædias quoq; toleramus, imò commendamus, si spirent pietatem, honestatem & careant scandalo, quantum nec id diffiteamur, plerasq; hodiernas tales minimè esse, minimeq; decere Christianum, hoc est, hominem serium, gravem, pium, moderatum.

§ 17. His ita pertractatis accingamur quaestioni illi dissolvendae: An Ecclesia nostra Calvinianis abrogationem caeremoniarum, rerumq; adjaphorarum, quibus ex libertate Christiana urimur, urgentibus, jure cedere debeat atq; tuto cedere possit? Solent nimirum Calviniani hoc strategemate uti, ut quoties dogmatibus suis Ecclesiam aliquam deformare, vel ut ipsi vocant, reformare volunt, reformationem hanc incipiunt non à dogmatibus de praedestinatione, persona Christi, & sacramentis, sed ab adjaphoribus, & caeremoniarum abrogatione, ne simpliciores olfaciant, quid rei agatur. Contra Lutheri vox est; *tandem religionis Christiana.*

Christiana integritatem duraturam, quamdiu libertati Christiana privilegia facta testata retinuerit Ecclesia Evicto haecenus, ritus illos adjaphoros esse & utiles, de quibus nos inter & Calvinianos disceptatur, probatu haud difficile est, cedi nec tuto posse, nec debere. Nam quæcunq; cessio naturæ rerum adjaphorarum repugnat 2. libertati Christianæ & 3. officio fidelium & 4. generali mandato de usu rerum adjaphorarum, deniq; 5. praxi Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ adversatur, illa nec licita nec tuta Atqui cessio, quam urgent Calviniani talis est. E. Minoris membrum primum sic probatur. Vel enim ceditur libere vel coactè. Illud fieri non potest, clamantibus adversariis, ritus, quos pro adjaphoris habendos esse diximus, illicitos esse. Unde relinquitur, coactè cedendum, quod pugnat cum libertate Christiana. Secundum membrum probatur Gal. 5. 1. Porro officium fidelium est, non tantum malitiosè insidiantibus libertati Christianæ nihil in ejus præjudicium concedere, verum etiam eo tempore, quo religionis orthodoxæ puritas five indirectè five directè ab hostibus veritatis oppugnatur, confiteri veritatem Matt. 10. 33. 2. Cor. 6. 14. 17. Quartum membrum ex 1. Cor. 14. 26. 40. 1. Cor. 10. 23 seqq. est manifestum. De quinto videatur Act. 15. caput. Gal. 2. 3. 1. Cor. 9. 22. &c. Hæc de quæstione illa, adeoq; de adjaphoris sufficiant: circa quæ pro clausula illud addimus, semper probatam nostræ Ecclesiæ atq; ipsa praxi comprobata fuisse regulam illam, quam tradit Wilhelmus Zepperus in Politia Eccles. lib. 1 Cap. 9. his verbis: *In ceremoniarum correctionibus, quemadmodum in omnibus reformationibus Ecclesiasticis, nequaquam ab exsequutione, sed à doctrina & institutione populi initium fieri debet, & abusus prius ex cordibus quam externus ceremoniarum usus & aspectus ex oculis ejiciendus: ut intelligas Ecclesiæ jure & merito tales reformationes suscipi, secus si fiat, non Christiani, sed aut hypocrita aut præfracti aut obstinati; imò & rebelles atq; seditiosi sunt homines, infirmiq; ab agnitione & investigatione veritatis retrahuntur.* Salutare monitum! cui utinam parere, quem impotenti Spiritui adversarii maluissent! Faxit Deus pacis, ut omnes eodem animo mutuo simus affecti, & concorditer uno ore glorificemus Patrem domini nostri Jesu Christi, Amen.

COROL-

COROLLARIUM

De Arminianis.

Erroribus Arminianorum ortum dedit Jacobus Arminius, qui primum Amstelodami verbi DEI minister, postea in Academia Leydensi Theol. D. & Professor horridam illam Calvinii & Bezae de Prædestinatione &c. sententiam examinare atq; refutare, coepit, non tamen sine erroneis opinionibus, quas tum ipse, quantisper vixit, tum ejus discipuli & sequaces foverunt. Erant ante Arminium Controversiæ jam exortæ in variis Hollandiæ locis Anno 1597. disceptantibus inter se Pastoribus de Prædestinatione, vocatione Hominum ad salutem, nec non de Confessione Belgicæ & Catechismi Palatini in Ecclesiis publicis autoritate, quin & recta ac genuina multarum phrasium & sententiarum in illis inrerpretatione, ut rem memorant, atq; ab ipso, quod ajunt, ovo arcessunt ipsi Arminiani in actis Synodalibus Remonstrant: p. 84. Petrus Bertius Collegii Theologici Leidæ Regens, qui primum Arminium sectatus, postea Papista factus est, oratione quam habuit in obitum Arminij (extat hæc in operibus Theologicis Arminij Lugduni excusis Anno 1629. in ipso libri aditu & limine) occasionem, qua motus Arminius fuerit, explicat his verbis: *Circumferebatur, inquit, fortè quorundam piorum manibus libellus à quibusdam fragribus in Ecclesia Delfensi scriptus adversus Bezaem hoc titulo: Responsio ad Argumenta quadam Bezae & Calvinii ex tractatu de Prædestinatione in cap. 9. ad Romanos. Eum libellum, p. m. D. Martinus Lydius, qui antea Pastorem egerat in Ecclesia Amsterdamenti, tunc vero Professore agebat, in nova Frisiorum Academia, transmiserat ad Dn. Arminium rogaveratq;*

veratq; adversus Fratres Delfenses patrocinium susceperet D.
Beza. Credebatur à D. Lidio perquam idoneus huic rei Armi-
nius, cujus & ingenium sagax & iudicium acre & vim in do-
cendo ac refutando mirificam, partim fama acceperat, partim
ipse experitus fuerat. Neq; erat omnino ab hoc Instituto Arminius
alienus; recens enim ex schola Genevensi auribus circumferebat
sonum lectionum & argumentorum D. Beza. Accingit se ergo
operi, sed dum molitur refutationem, dum argumenta utring;
expendit, dum confert scripturas, dum se torquet ac fatigat, verò
victus, primum secutus est sententiam illam ipsam, quam oppu-
gnabat, (Delfensium, qui volebant posito decreto crea-
tionis & prævisio lapsu quosdam homines citra antece-
dentem prævisionem Jesu Christi electos esse ad salu-
tem) postea in eam divina vigula & sp. S. ductu delatus est,
quam ad finem usq; visa constanter asseruit, hanc nempe; ex
creatis & lapsis hominibus eos esse ad salutem aeternam electos,
qui vocanti Deo vera fidei obedientia responsuri essent. Hacten-
us Bertius.

Instituerat Arminius tum Pastor Amstelodami ami-
cam per litteras collationem, cum Franc. Junio Theol.
D. & Prof. in Academia Leidensi, super artic. de Præ-
dest. (extrat hæc collatio in operibus Arminij p. 447.
seq;) cum autem fatis concessisset Junius Anno 1602.
successorem habuit in Professione Theologica ipsum,
Arminium in Academia Leidensi, ut ut initio cum dif-
ficultatibus nonnullis conjuncta res fuerit, de quibus
vid. Præfationem ad Ecclesias in Act. synod. contra Re-
monstrantium B. 2. Franciscum Gomarum habuit Col-
legam simul & Adversarium qui cum Anno 1608. colla-
tionem instituit Hagæ coram supremæ curiæ Consilia-
riis vid. c. 2. & d. Initio res intra pauciores contro-
versias stetit, nimirum has quinque: de Prædestinatio-
ne,

T

ne,

ne, Lapſu Adami, de Libero Arbitrio, de Peccato originis & de ſalute æterna infantium, ut videre eſt ex declaratione Arminij operum ejus p. 95. Poſtea autem manente numero quinario ad hæc capita Controverſiæ ſunt reductæ: An prædeſtinatio eſſet abſoluta? An meritum Chriſti Univerſale? An in Converſione aliqua vires liberi arbitrij? An detur Gratia irrefiſtibilis? An fides & gratia ſit indefectibilis?

Sed & his quinque articulis poſtea adjectæ ſunt aliæ Controverſiæ tum ab ipſo Arminio tum à Conr. Vorſtio (hunc enim ſuarum partium eſſe ipſi agnoſcunt Remonſtrantes vid. Præfationis Litt. E.) tum aliis Aminium ſecutiſ. Mortuum Anno 1609. 19. Octobr. Arminium, qui ſectati ſunt, dicti ſunt Remonſtrantes à Remonſtrantia ſ. ſupplice libello, prout patet tum exactis Synodalibus Contra Remonſtrantium (ita dicebantur Calviniani, propter libellum ſupplicem contrarium ſ. propter Contra Remonſtrantiam) præfatione ad Eccleſiam Litt. D. 2. Ipſa porro nomina Remonſtrantium & Contra Remonſtrantium delere voluit Synodus Dordrechtana ſententiâ ſynodali deciſioni capitum controverſorum ſubnexa p 382. ſed irrito conatu: hodiernum quippe Atminiani in Belgio Remonſtrantes dicuntur, idq; ab ipſis Doctõribus Calvinianis.

Inter Remonſtrantes & Contra Remonſtrantes inſtituta eſt Collatio Hagæ Comitum Anno 1611. de qua vide Præfat. ſæpius citatam lit. D. 4. & ſequentibus. Volebant Remonſtrantes tolerari ſuam Doctrinam contra quidem nitentibus Calvinianis, ſed prævalentibus initio Remonſtrantibus, qui per Utembogardum Eccleſiæ Hagiensis Paſtorem, Virum qui apud Proceres Belgicos in flagranti erat gratia, id quod petebant.

primum

primum impetrarunt. vid. Act. synod. Remonstrantium p. 15. & Contra Rem. præfat. Lit. E. 3. Donec tandem per synodam Dordracenam, cujus iudicio se submittere volebant Remonstrantes, eò quod eisdem, Actores simul & Iudices habere detrectarent, præterea ipsis non permetteretur copia eò modo & ordine agendi, quem promiserant Ordines litteris citatoriiis (futurum videlicet, *ut liceret ipsis defendere se quantum possent & necessarium iudicarent*) donec inquam per synodum Dordracenam doctrina Arminij damnata, ipsiq; Arminiani ex foederato Belgio ejecti ac proscripti sunt Anno 1618 & 1619.

Articuli, quos in Arminianis damnavit Synodus, sunt supra memorati; nimirum improbant capite I. Electionem Conditionatam II. Meritum Christi Universale III. & IV. propugnant Gratiam Irresistibilem & cap. V. Indefectibilem, contraq; sentientes reiiciunt.

Reliqua doctrinæ capita, quæ Arminianis imponebantur, non attigerunt. Rationem huius rei licet colligere ex Epistola Remonstrantium ad Theologos externos, quæ extat in actis synod. Remonstr. p. 12, ubi p. 19. ita inquit: *Testati sumus perpetuo; atq; etiamnum testamur, nihil nos habere speciatim extra Prædestinationis negotium, præterquam controversiam de revisione nostræ Confessionis atq; Catechismi (Palatini) itemq; de Autoritate Magistratus (confer. Præf. sæpe citatam Lit. c. 2.) in Ecclesiasticis. Quod si quis præterea aliud quid doctrina caput moverit, personale id est, cujus defensio illi soli incumbit, qui id movit.* Hactenus Remonstrantes.

Quod de revisione Confessionis atq; Catechismi dicunt, de eo videri possunt acta synodalia Remonstrantium p. 86. seq; & p. 102. seq;. Obiter etiam notari

potest ex iisdem Actis p. 40. quibus conditionibus Remonstrantes voluerint synodum legitime instituentam: quarum hæc fuit I. Ut utraq; pars ad synodum vocetur & citetur, sintq; tam Arminiani quam Calviniani partes (non iudices) adversæ; utq; utrisq; libertas concedatur iusto numero aptos ex suo cætu deputandi. II. Ut salvus Conductus præstetur omnibus & singulis qui ad synodū venient. III. Ut sanciatur *à universis*. IV. Ut renunciatur omnibus pactis, obligationibus, condemnationibus, præiudiciis &c. V. Ut tantum doctrina examinetur; personalia exulent, neminiq; ullo nomine molestia faceffatur. VII. Ut utraq; pars idoneè audiatur & examinetur. VI. Ut scriptis utrinq; agatur & utriq; parti iustum tempus detur scripta concinnandi, nisi forte utrinq; in collationem consentiatur viva voce. IIX. Ut ne fiat decisio de controversis articulis sed studeatur accommodationi, ne suffragiorum numero sed utriusq; partis consensu & moderatione mutua concilietur. X. ut qui statim per conscientiam gravabuntur obsequi, iis iustū tempus concedatur deliberandi secum &c. XI. Qui decretis synodi acquieverit, ut ad Ecclesiæ communionem admittatur. XII. Si non acquiescat, atq; ob hanc causam publico ministerio exauctorandus videatur, ut possit cedere, dummodo ne ulteriore pœna vel politicâ vel Ecclesiasticâ gravetur &c. sitq; penes Magistratum summum dispositio ordinis ac modi docendi, quem in publicis Ecclesiis obtinere velit;

Hæ sunt Conditiones quas ipsi Arminiani prolixè defendunt p. 46. seq;. Has Conditiones cum minime paterentur sibi præscribi, minimeq; probarent synodi Dordracenæ Patres, itum est communibus suffragiis

giis in sententiam condemnatoriam, de cuius iniquitate, præter ea, quæ habent locis citatis Remonstrantes videri potest elegans præfatio, quam suæ διακρίσεως præmisit CL. D. Nic. Hunnius. Summa perfido illo processu in Arminianos omnia Irenica scripta Palatinorum Neostadiensium. Parei &c. una velut litura deleverunt, ipsaq; praxi demonstrasse Calviniani videntur, nihil fidei in posterum quamlibet magnificis ipsorum pollicitationibus habendum esse. Quanquam vero ab omni non tantum æquitate, sed & veritate aliena fuerit sententia Dordracenorum in Arminianos, si summam rei spectemus, non tamen immunes ab erroribus fuerunt Arminiani, etiam ipsa capita controversa quod attinebat. Nam & novitates phrasium electionis completæ, incompletæ &c. usurpant, & respexisse Deum ad bonas eligendi qualitates, & in primis cooperari voluntatem cum divina gratia aliaq; dicunt & defendunt minus orthodoxa, ut paulo post patebit. Sed hæc videri alicui leviora possent præ iis, quæ postea confessione sua, ejusq; Apologia tuentur. Et forte non injuria de Socinianismo illos Calviniani suspectos reddere conati sunt: quanquam nec hoc silendum sit, si quid Socinianæ labis Remonstrantibus adhæsit, quod omnino sic esse haud diffitendū, ut ex dicendis clarum erit, non ab aliis eos artes Socinianorum, quales sunt spernere antiquitatem, contorquere scripturam &c. didicisse, quam ab ipsis illis, è quibus egressi sunt Remonstrantes, hoc est à Calvino & discipulis. Nimirum solemus homines vitia, quibus ipsi maximè obnoxii sumus, in aliis maximè accusare. Sed hæc mittamus. Qui consonantiam Calvinianorum cum Socinianis cognoscere cupit, adeat cum aliis Graweorum putà, Balduinum &c. tum præsertim CL. Gerhardi

part. 2. Disp. Theologicarū, Vorstium item responsione ad F. Hommii specimen pag. 42. ad finem. Ad Arminianos redimus, quorum errores tum ex confessione, ejusq; Apologia tum ex privatis Doctorum Arminii Vorstii, Episcopii, Grevinchovii &c. colligere licet. Sed privatorum sententias multitudini adscribere fortè inconvenientis est. Quare sufficet ex Apologia & Confessione errores eminentiores exsignasse. Hi vel sunt communes ipsis cum Calvinianis vel proprii. Ad communes refero doctrinam de Persona Christi & Sacra Cœna. De hac videatur Confessio cap. 23. De illa crassius adhuc loquitur Vorstius in Apol. Exeg. pag. 87. quàm Calviniani. Verba ejus sunt: *Non ineptè responderi posset unionem duarum in Christo naturarum non in essentiali duarum naturarum indistantia, sed in arcano quodam & ineffabili Deitatis tēdy in humanitatem in fluxu, hoc est, singulari quadam illius in hanc operatione, sive gratiosa huius ad illam assumptione, aut peculiari appropriatione consistere.* Vide pag. 88. & 89.

Errores Remonstrantium, quos proprios vocavimus, hi ferè sunt:

1. Cultum quo Deus ex se ob naturam suam dignissimus est, distinctum esse volunt à cultu, quem Scriptura Christo Jesu ut mediatori tribuendum esse dicit, quod cultus, quem Jesu Christo contradistincto à Deo Patri scriptura tribuendum esse dicit, est cultus, non quo Jesus Christus ratione naturæ divinæ quam per generationem ex Patre habet, dignus est, sed qui Jesu Christo, ut mediatori in tempore à Patre assignatus & attributus est, quemq; Christus adeptus est propter obedientiam, quam Patri suo præstitit ad mortem usq; crucis

cis &c. Apolog. pag. 39. Vid. Confess. cap. 16 & Apolog. pag. 153. ubi dicunt, Gloriam adorationis, quæ Christo mediatori competit, veram adorationis gloriam esse, etsi non absolute divinam.

2. Apol. pag. 41. an essentia Dei oculis beatorum visibilis sit futura, questionem inutilem & ineptam esse censent. Quin pag. seq. haud obscure Vorstium vel excusant vel defendunt, contendentem, falsum esse, illud Scholasticorum: Nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus, ducto à decretis divinis seu liberis volitionibus argumento, quas Apologia ipsissimam Dei essentiam esse probari non posse ait. Et pag. 44. Episcopium dicit & rectè & prudenter fecisse, quod disquiri permiserit, an necessarium scitu sit scientiam contingentium Deo competere. &c.

3. Apol. p. 46. dationem vitæ æternæ à Deo promissæ, actum justitiæ distributiæ merito vocari asserit.

4. Apol. p. 48. Christum contendit pluribus modis & variis de causis vocari in scriptura Filium Dei.

5. Apol. p. 50. exponunt causam, cur argumentum ab adoratione ductum in Confessione non adhibuerint: pag. 51. dicunt argumentum à cultu divino ad probandum Sp. S. divinitatem, se idcirco non adhibuisse in Confessione, quia ex scripturis cultum istum Spiritui S. nominatim deferendum, aut à sanctorum ullo delatum esse, probare non possint. Addunt, Jehovah nomen etiam creaturis attribui in scripturis.

6. Communionem cum Socinianis, aliisque Trinitatis misterium oppugnantibus colere se fatentur Apol. 53. conanturque ex Justinii Dialogo cum Tryphone probare, veterem Christianorum Ecclesiam cum iis, qui circa tempora Justinii credebant, Christum Jesum non esse,

esse, nisi hominem ex hominibus, communionem co-
luisse, dummodo Jesum verum Messiam esse, & per eum
Deum colendum esse, firma cum ipsis fide crederent.

7. Apol. pag. 57. Mortalitem corpori Adami an-
te peccatum naturaliter competere dicunt, quatenus
Adam etiam tum homo animalis & per unionem na-
tura sua dissolubilem compositus erat: & pag. 59. ne-
gant incorruptibilitatis illius, si Adam perstirisset, cau-
sam proximam fuisse animam, quatenus originaliter ju-
sta erat.

8. Ibid. Mortem, quam Adamo Deus comminatus
est, dicunt esse corporalem, quam præcedunt mala,
omnia ad mortem disponentia, & quam deinde æterna
pœna damni, id est, divinæ visionis sive gratiæ & glo-
riæ æternæ privatio, subsequitur. Aliam mortem, id
est, pœnam æterni sensus ut statuunt, nulla auctoritas,
nulla ratio, nulla æquitas cogit &c. Vid. pag. 83.

9. Pag. 59 an imago Dei potissimum sita sit in do-
minio hominis in cœteras creaturas, quæstionem esse
dicunt nullius momenti.

10. Pag. 84. fatentur peccatum Adami, à Deo im-
putatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus poste-
ros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum ob-
noxium se reddidit, obnoxios nasci voluit: at nihil co-
git dicere, peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo
imputatum, quasi Deus posteros Adami revera censu-
isset, ejusdem cum Adamo peccati & culpæ quam Ada-
mus commiserat, reos. Hoc esse contra scripturam, ve-
racitatem, sapientiam, bonitatem, justitiam atq; æqui-
tatem divinam: contra peccati naturam, ut id censea-
tur peccatum, aut ut propriè in peccatum imputetur,
quod propria voluntate commissum non est &c. Sum-
ma.

ma, peccatum originale non habent pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat, *ut habent ipsissima eorum verba pag. citatâ.*

11. Pag. 86. Actus, inquit, quos homo gratia divina privatus non potest non facere, non sunt formaliter peccata, per quæ ad novam poenam obligatur.

12. pag. 88. seq. contendunt Gen. 6. 5. cap. 8. 21. Joh. 3. 6. non agi de originali peccato.

13. pag. 91. quæstionem de fide in Jesum Christum, an & quomodo ea sub V. Testamento locum habuerit, inconcinnam, ambiguam & inutilem esse dicunt.

14. Pag. 93. Propter errorem, quem de origine carnis Christi errant Anabaptistæ, negant eos in fundamento fidei errare censi posse vel debere.

15. Pag. 94. Christum servatorem nostrum non uno tantum modo sed pluribus & quidem in gradu excellentissimo, præconio, exemplo, martyrio suo rectè dici contendunt.

16. Pag. 107. demonstrare conantur, Socinum in summa rei cum orthodoxis conspirare in capite de justificatione & fide. Ubi notandum, quod habet CL. Mentzerus art. 4. Exeges. August. Confess. summam Photinianæ doctrinæ complectens his verbis: *justificari hominem per fidem & obedientiam, ex mera DEI gratia, absq. ulla Christi satisfactione & hanc doctrinam nobis Christum in Evangelio proposuisse, sua morte confirmasse & ad eam amplectendam suo nos exemplo invisasse.*

17. Pag. 108. seqq. remissionem peccatorum applicari per fidem posse negant, utpote quæ actus Dei est in Deo perfectè immanens. Unde resp ad Walachr. pag. 88. negant fidem justificantem esse, qua quis credit sibi remissa esse peccata & pag. 124. taxant dicentes, fidem esse firmam persuasionem de adoptione credentis in Christum.

Z

18. pag.

18. Pag. 111. Obedientiam fidei, quatenus fides actus noster est, in negotio justificationis rectè considerari contendunt: negant pag. 112. fidem propriè instrumentum, esse justificationis; fidem item quatenus instrumentum est, opponi non tantum operibus obedientiæ, sed etiam fidei, quatenus opus est pag. 113: An fides, quæ viva est, an qua viva est, requiratur ad justificationem, Logicam tantum litem esse: Jacob. cap. 2, 24. perperam dici agere de declaratione justificationis contendunt.

19. Pag. 112. Christi justitiam nobis imputari, esse phrasin, quæ, si rigidè accipiatur, consistere non possit.

20. Pag. 119. Docilitatem, quæ nos aptos reddit ad virtutes morales, eandem aptos nos reddere ad virtutes divinas amplectendum, Adde quæ de animi probitate dicunt.

21. Pag. 121. fidem in omnium potestate esse: impotentiam credendi à voluntate hominis sola provenire, eamq; non tam physicam, quam moralem esse impotentiam dicunt.

22. Pag. 128. Negant in regenitis semper carnem, concupiscere adversus spiritum, si de actuali reluctatione fit sermo. Unde pag. seqq. contendunt, cap. 7. ad Romanos rectè ab Arminio, Socino &c. de homine irregnito, ejusq; lucta explicari.

23. Pag. 138. An Matth. 5. seqq. expositio facta sit per novorum præceptorum additionem, an per interpretationem eorum sensuum, qui verbis legis continentur, necessarium non judicant, ut curiosè explicetur. Vid. pag. 151. ubi durius loquuntur.

24. P. 141. Anabaptistas, Socinianos, qui sentiunt, nulli Christiano, ne quidem Magistratum gerenti, licere sanguinem effundere, aut capitalibus suppliciiis in fontes animadvertere, libenter tolerare parati sunt, &c.

25. Pag.

25. Pag. 149. Renatos de perseverantia sua finali in certos esse docent: quanquam pag. 213. dubitationem Pontificiam à se removeant, complectentem hæc tria
1. neminem fidelem certum esse debere de sua salute.
2. neminem de ea certum esse posse.
3. etiamsi quis certus esse posset, utile tamen non esse, ut certus de ea sit, aut reddatur. Fatentur, se credere, fidelem certum esse posse, adeoq; certum esse debere, Deum nunquam ei defuturum, ut perseverare possit & perseveret ad finem usq; etiam in gravissimis tentationibus. At non credunt, eum certum esse, nedum certum esse debere, ex ulla sive promissione, sive actione Dei præcedanea, futurum, ut in fide sua perseveret, quocunq; tandem modo se gerat, aut ut semper ad finem usq; se dignè vocatione sua gerat. Hæc ibi.

26. Pag. 158. docent eos, qui beneficio gratiæ universalis legi naturæ obsequuntur, Deo gratos esse, & vel salute æterna per extraordinariam gratiam donari vel beneficiis majoribus gradatim à Deo affici, ut ad salutem æternam pervenire possint.

27. Pag. 162 seq. Synergismum defendunt: in primis pag. 180. ubi negant gratiæ usum efficacis gratiæ effectum in solidum esse.

28. Pag. 217. quæstionem de corporum post resurrectione numerica identitate talem censent, ut pro utraq; parte rationes probabiles sint, nec decidi hæc liceat &c.

29. P. 225. Missionem mediatam, qualis fuit ordinatio Episcoporum per Apostolos, aut eorum successores, non semper aut præcisè esse necessariam ad constituendum Ministrum Evangelicum docent.

30. Pag. 247. pædobaptismum non censent præcisè observatu necessarium, vel ex præcepto Christi vel ex

tra-

traditione Apostolica, vel alia aliqua certa atq; indubita-
rata autoritate tenendum, urgendum aut imperandum
esse. pag. 248. censent tolerandos Pædobaptismi im-
pugnatores.

Reduximus errores Remonstrantium ad triginta
capita: nolimus quippe omnia ad vivum rescare. Cæ-
teroquin fuissent, quæ circa loca scripturæ nonnulla
moneri potuissent, quorum sensum haud parum adulte-
rant Remonstrantes, quæq; de punitione peccatorum
non necessaria pag. 46. de justitia originali pag. 60. de
bonis operibus Irregentorum pag 74. de naturalibus
corruptis sed supernaturalibus deperditis p. 76. de ju-
re Dei in infantes p. 87. de peccatis levissimis pag. 91.
de saluatione quorundam sine fide in Christum p 96. de
duplici electione ad salutem peremptoria&intercisa pag.
100. de scopo cap. V. Matthæi p.136. de Lege Dei norma
vivendi, deq; dilectione Dei super omnia p.142. de præ-
statione omnium mandatorū Evangelii per gratiam Dei
pag. 155. de obedientia Christi p.187. de statu animarum
post mortem p, 216. de reprobatione gentilium p 220.
de Ecclesiæ perpetuitate p. 237. de libertate prophetan-
di p. 274 seq. & religionis pag. 299. seqq. sive falsò, sive
novè, sive periculose differunt; quæ tamen ut reliqua
omnia errata bonam partem in Schola Calvini & disci-
pulorum didicerunt, ut pluribus ostendi posset. Videat-
ur ipsa Remonstrantium Apologia, una cum Vor-
stii responsione supra citatâ. Hæc pro Aca-
demico exercitio nunc
sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.

Hactenus intentus studiis bene Philosophorum
 Progredieris mentem tingere luce sacra.
 Pergito sic studio patrem exhilarare sacrorum
 Sicq; tibi nullum tempus abibit iners.

Benevolentia ergo apposuit

Johannes Cothman, S. S. Th.
 D. & P.

Ad Eximium & Præstantissimum Juvenem

Dn. GREGORIUM MICHAELEM
 SS. Theol. studiosi, industrii, Amicum dile-
 ctum, *Respondentem* de ADIAPHORIS.

D octrina bonitas, sacriq; cultus:	Qui saccant pulices, vorant came-
Inflammata fides, soli triumphus	Quos dū de cathedrâ sacri Rositi (los.
Christianam faciunt ea unionem:	Scriptura tonitru bene exerrari,
Dum substantia rituum manebit,	Applausus & adorem mereris
Circumstantia versa nil nocebit.	GREGORI, sapientiæ sacrate
Quid ritus quatitū, Beellebulem	Virtutis Veterisq; Candidate:
Juratum, quid imagines, quid aras:	Sic pergas studiū litare: per te ut
Fracturas, Decadem, hostiamq; no-	Calvini (suboles rubere discat.
stram:	Præstat vulneribus piè mederi
Velatas quoq; frondibus coronas	Quam turbis onerare membra Chri-
Et cordi resonas fides canoras?	Tota Ecclesia quod jubet, tenere: (si:
Quid vestes, humerale, pectorale,	Quod quedam: modo liberè, tueri,
Quid lychnos strepitū tenebriones,	CHRISTIANI est gravū illa discipli-
Decretū Adamante duriores,	Si sit salva fides, boniq; mores, (na.
Et sacri Acheronte tristiores?	Ceremonia liberè maneto:
Hoc hoc vos probat esse Pūritanos,	Prudeuter veneratus banc, valebit.

Cum voto felicium in studiis processuum
 L. M. Q.


Augustus Varenius, SS. Th. Lic.
 & Hebr. Profess. publ.
 Quem,


Quem. BOTSACCE, tuis finxisti legibus, & quem
Magna celebrati formavit vena CALOVJ,
Quem B E H M I gravitas & fervida Musa probavit;
Multi prætereà, (sed in os laudare vetatur
Penna pudore suo), ne quis captator honoris
Irrepisse queat nimium laudando videri;
Hic de se patriæ jam tollit signa futuro,
Dum cathedram scandit, repetito ut tunderet ictu
Calvini dudum, fallacia dogmata, Calvi,
Cui vellendo instas *Præses reverende*, secundans
Ausibus Adfinis. Cumq; & pars cordis in illo
Maxima quinq; annos habitet nostri, atq; perennem
Nil culpanda Fides nobis asservet amorem,
Quam plaudo & tantis votum conatibus addo!
Vibrantem videas hunc, Rostochiana cathedra,
Spicula per medios divini nominis Hostes
Olim; seu patrio potius capiatur honore;
Sive utrumq; queat, dupliciq; litare Camæna
Sacra; quin veniant voto mage grandia nostro.

Henricus Michaelis,

Lub. LL. St.







H Actenus intentus studiis ben
Progrederis mentem tinge
Pergito sic studio patrem ex
Sicq; tibi nullum tempus

Benevolen

Johannes Cot

Ad Eximium & Præstantissim
Dn. GREGORIUM MIC
SS. Theol. studios. industrium, &
ctum, Respondentem de ADIA

D *Officina bonitas, sacriq; cultus: Qui saccant*
Inflammaria fides, soli triumphus Quos dñi deca
Christianam faciunt ea unionem: Scriptura te
Dum substantia rituum manebit, Applausus &
Circumstantia versa nil nocebit. GREGORI,
Quid ritus quaticū, Beelsebulem Virtutis Ve
Juratū, quid imagines, quid aras: Sic pergas st
Fracturas, Decadem, hostiamq; no, Calvini (sub
stram: Prestat vuln
Velatas quoq; frondibus coronas Quam turbā
Et cordi resonat fides canoras? Tota Ecclesi
Quid vestes, humerale, pectorale, Quod queda
Decretū Adam ante duriores, CHRISTIAN
Et sacri Acheronte tristiores? Si sit salva fi
Hoc hoc vos probat esse Pūitanos, Ceremonia l
Prudenter ve

Cum voto felicium in studiis

L. I

Augustus Varen
& Heb

orum

ato;

Th.

m

EM

le.

came-

ti (los.

ari,

ris

na

te:

te ut

st.

a Chri.

ere: (sti:

ueri,

discipli-

s, (na.

alebit.

. Lic.

ubl.

Quem,

